



PALAEASTRA LATINA

SUMMARIUM

COROCOTTA, REX LATRONUM.

NOVA ET VETERA, (Jové)

MISSIONES MINIME NEGLEGENDAE.

IN BEATUM ANTONIUM M. CLARET. (González)

CANTUS VESPERTINUS, (Viator)

COMMERCIO EPISTULARE.

DE ARTIFICIOSAE HARMONIAE PRINCIPIO IN ARTE
POETICA HORATII, (Ruiz)

BIBLIOGRAPHIA, (Martija, Fanlo, Jiménez)

EXERCITATIONES SCHOLARES.

Ordinarii atque Superiorum permisso

XVI NOVAE MINAE



Cognita ducis voluntate, latrones specciderunt; exspectabant enim ut Aulus grandi se ipse pecunia redimeret, neque intellegebant quare Corocotta tam clementer ageret, et sine pretio captivos locupletissimos dimitteret. Plerique tamen, qui duci considerent, ei morem gerere non dubitaverunt, sed nonnulli quorum indoles minus erat tractabili, non ante paruerunt quam reclamitarunt. In quibus erat Teutobodus quidam, obtusi ingenii homo, sed miro robore et saevia, qui dominationem Corocottae agere jam diu ferebat. Teutobodus, dum rex latronum omnia ad iter necessaria parat, omnes eos qui reclamitaverant, allocuturus adit, congregatosque remotoire in loco, ut duci obsserstant impellit neque faciant quod ille jusserit. Corocotta veritus ne quid mali viatoribus accideret viginti fidissimos ex suis praesidium praebet, et postquam Aulus et filia maximas iterum illi gratias persolverunt, parva manus se commovit. Tum Teutobodus cum animo suo loquens dixit male ridens: «Felicem tibi viam adprecor, Aule; nondum Romam advenisti.



JAM viatores aliquot milia confecerant. Aulus rerum novitate permotus stupuerat, cum subito exorti sunt horroandi clamores et in custodes, lecticæ præsidio a rege latronum

praepositos, ferorum hominum factus est impetus. Frustra ab eis repugnatur, prosternuntur, caeduntur multiuidide oppressi, et Teutobodus (is enim erat qui cum suis sociis viatores adorans erat) Aulum ejusque filiam trepidantes rapit. Unus autem e lecticæ custodiis, eti graviter fuerat sauciatus, e longinquò raptore secutus est. Post longum iter hi tandem ad diversorium horribili specie venenerunt, a cuius domino obsequentiissime sunt excepti. «Da nobis bibere, idque celeriter» inquit Teutobodus. Dein sociis: Nos autem, agni mei, corrigamus clementioris Corocottæ errorem! Et terribilia tormenta Aulo minatus, nisi pararet, haec ad Tulliam verba dictavit: «Filia et ego capti sumus a latronibus. Te oro ut ab argentario meo decem milia numerorum petas ferasque ipsa, ante quartum diem, ad sexagesimum lapidem. Ibi invenies cui pecuniam dabis. Noli cuiquam de hac re loqui praesertim Sagaci, aliter moriar. Noli item tibi comites adjungere, aliter enim moriar. Aulus». Tunc Teutobodus obsignatam epistulam latroni cre-didit ad Tulliam perfendam.

XVII ITERUM LATRONIBUS OPPRIMUNTUR

PALAEstra LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

NOVA ET VETERA

Narratiuncula.—Iter mihi est faciendum ex ignoto quodam oppidulo ad illius terrae caput. *Horarium* (sive itinerarium) capio, ut videam, qua hora in sequente die proficisci queam. Ecce varia per diem *tramina* oppidulum nostrum praetereunt: *Postale* (sive *tabelarium*) tramen duobus minutis post horam quartam, *rapidum* puncto horae septimiae, post et *velox* et *mixtum*; *expressum* nullum ibi sīstīt. Jam vero quodnam tramen ascendam? *Rapidum* malo. Omnibus igitur rebus ad iter paratis proximo die ad *stationem* venio statimque ad *fenestellam tesserariam* me conservo. Pecunia rite numerata, tertiae classis *tesserām* accipio. Cum sarcinarum *expeditore*, qui, *syngrapha* data, *arcas* et alia onera gravia conlocanda curat in sarcinario curru, nihil mihi est negotii; nam praeter *vidulum* sive manualem *cistellam* nihil fero. In *oceo* *vectores* quosdam invenio exspectantes et se calefiantes —jam enim mordet frigus— pro-

pe *fornacem* (sive *caminum*), quae in medio oeco ardet; caret enim illa statio centrali quadam calefactione. Appropinquat tempus ineundae *crepidinis* (aut aulae) unde concenditur tramen. Jam *perforator* carceres aperit. Subinde in longinquum prospicio, nil autem adhuc video nisi fabros ferriviarios prope *stationem ferreas* (sc. virgas) configentes in *transstris*. Suo tempore appetet tramen, quod *declinator* facile dirigit ad *orbitam* nobis propiorem. Vi *electrica* movetur, non vapore; nihil igitur fumi est in *machina locomotrici*. *Traminis ductor* constringit frena, tramen sīstīt, exeunt vectores advenientes, proficiscentes concendent currus et commodissimum sibi quisque elegit loculum. Plerique ad fenestram sedere malunt. Quae omnia celeriter fieri oportet. Jam denuo rotarum orbilia se vertere incipiunt super orbitam, dum vectores dexteras ad amicos porrigit palmisque eis valedicunt.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Missiones Minime Neglegendae

(sequitur; v. num. sup.)

- H. — Age, jam concedo missiones ab optimis operibus non abstrahere. At quoniam sacrificium commemorasti, ad secundam jam difficultatem veniamus, quod missiones, scilicet, omnibus careant voluptatibus.
- CL. — Miseros ergo existimas missionarios, quod iis carent, quibus nos esse felices arbitramur?
- H. — Ita plane.
- CL. — Nullaene igitur sunt res, quae missionario laetitiae esse possint?
- H. — Non ausim dicere id quidem, sed quoniam me verbo premis, non jam dicam omnibus, sed fere omnibus voluptatibus.
- CL. — Carent fortasse honoribus; num ergo infortunati erunt?
- H. — Omnino.
- CL. — At sunt qui honoribus quam maxime destituti, beati tamen putentur.
- H. — Qui? Nusquam enim novi.
- CL. — Probi ac simplices opifices, familiaribus suis stipati, qui vivunt beatit, honores autem non modo non desiderant sed ne suspicantur quidem.
- H. — Sed id solum opificibus probari potest; nam in tali sunt simplicitate nati, ut nulla fere sit in eis honorum cupidio.
- CL. — Quaeramus nos hanc optimam simplicitatem et honoribus carere moleste non feremus. Sic enim res se habet, ut is, qui non desiderat, jucundius, quam qui desiderat, careat.
- H. — Nescio quid respondeam; haec enim spinosiora potius ut taceam me cogunt, quam ut adsentiar. Haec ergo mittamus; majora enim moltor, quibus haerebo. Missionarii nec amicis uti, nec familiaribus possunt.
- CL. — Quid inde?
- H. — Quod carent maxima omnium voluptate.
- CL. — Carent etiam qui se locupletandi causa fines patriae relinquunt et tamen fortunatissimi habentur.
- H. — Sed ii saltem pecunia cumulata fruuntur dum missionarios, quia non se locupletandi causa ad missiones pergunt, etiam hac carere videmus.
- CL. — Bene; sequere.
- H. — Persequi potuerim permultas molestias missionum; sed haec, quae dixi, existimo ita gravia atque firma, ut nemo quidem refutare audeat.
- CL. — Minime vero, brevi haec omnia evanescunt. Etenim Jesum intuere dicentem: «Si quis vult post me venire, abneget semetipsum...» et alia gravissima. (Nullum igitur id argumentum est ut missiones neglegamus, potius ut persequamur, dixerim.
- H. — Do manus victimas; et jam quidem missiones amplectendae viderentur nisi alia me detineret difficultas, quam quidem minimam omnium esse censeo.
- CL. — Dicas quae soles, et quanta quamque sit justa videamus.
- H. — Quod missionarii haud procul absint a morte.
- L. — (*ingreditur et salutat*) Bene vobis!
- CL. — Unde tu?
- L. — Rure, et pater missionarius mihi occurrit in via cum Josepho deambulans. Cum his longum sermonem, ut fere fit, de missionibus contulit. Ambo enim in Carolinas pergere exoptant. Vos autem quid tam intenti?
- CL. — Disputationem de missionibus instituimus, per hunc enim ne quis in posterum missiones peteret, quam primum decerneretur.
- L. — At quae sunt tantae causae, quare missiones tam acerbe condemnes?

H. — Tres causas habebam; primam quod ab optimis operibus missiones avocent; alteram quod privent omnibus fere voluptatibus; sed has jam frater, qua pollet, subtilitate refutavit. Tertia restat quod missionarii haud procul absint a morte; quam quidem volumus, nisi moestum est, utpote magna perspicuitate praeditus, ut solvas.

L. — Faciam equidem, ut potero. Et primum mortem existimo aequa impendere missionariis atque ceteris hominibus.

CL. — Ego vero, pace tua, longe dissentio. Missionarius enim ad magnam senectutem pervenit nullus. Quin immo, si quis eorum septuagesimum annum agit, diu putat vixisse; nam multis id contingere non solet.

L. — Sed nihil refert num quadraginta annos vivas an octoginta. Quid enim est in vita hominum diu? aut, quid sunt anni cum alterius vitae aeternitate comparandi?

H. — Sed temen res haud sane facilis est emori.

L. — Minime. Mors, mea sententia, dulcis est atque exoptanda.

CL. — Plane tibi adsentior.

H. — Quid? Exoptanda mors vobis videotur? Audiendi cupiditate ardeo.

L. — Mors est terribilis iis, qui, vitiis irretiti, cupiditatibus distrahuntur; iis autem, qui, ceteris relictis, per vitam Deum unum quaeasierunt, jucundius est mori quam vivere

CL. — Quam belle, mi Ludovice, dixisti. Sic enim res se habet, ut sanctissimi quique aequissimo animo moriantur, mundani iniquissimo.

H. — Mortem ergo missionarii non formidant?

CL. — Ita sane; sciunt namque, cum ex hac vita discesserint, tum vere esse victuros.

L. — Nec de hoc ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder, non eos, qui alacri animo et erecto pro patria moriuntur, non eximium illum vatem, qui non dicit esse mortem lugendam quam immortalitas consequatur:

Nemo me lacrimis decoret neque [funera fletu

Faxit:

non ethnicos, qui vitam parvi aestimarent, sed nostros ipsos Sanctos, qui ex hac vita tamquam ex hospitio discesserunt, non tamquam e domo. Quid enim potest esse dulcissimus, quam mors illius praeclarissimi viri Xaverii, quem oculos in Sianam avide conjicientem extingui cerneret?

CL. — Sanctus Ignatius etiam, cum in lecto jaceret, ardebat caeli desiderio, jam jam id quasi terram ex longa navigatione prospiciens, lacrimasque mitissimas fundens, in portum pervenire cupiebat. (*ad Henricum*) Satisne habes?

H. — Utique. Vobis plane adsentior; nostro vero Josepho invideo eique, cum videam, stimulos addam, minime impediam. Utinam Deus concedat illi quod tantopere exoptat!

L. — Ut de iis, quae locuti sumus, Pater Florentius certior fiet, incredibili gaudio efferetur; ille enim amat missiones earumque studet amantes quam plurimos conciliare.

C. M., S. I.

Alumnus Supremas Grammatices

*In Beatum Antonium M. Claret
altero Beatificationis recurrente anniversario*

Quos tibi cantus hodie fideles
Laudis, Antoni, modulamur omnes
His tuis fastis hilares canentes
 Suscipe laetus.
Qui modo, Paulo similis flagranti,
Surgis in mundum, populos anhelans
Orbis atque omnes animas amore
 Urere Christi.
Sedulus Pastor, virides abunde
Exhibes pastus ovibus tenellis,
Saucii Jesu lateris madentes
 Sanguine divo.
Impiger Petri Cathedrae patronus,
Christianorum nimis efferendus
Laudibus dignis, precibusque justis
 Jure mereris.
Artibus solers animas regendi,
Spiritum Regum, probitate mira,
In dapes gratas moderaris ipse
 Regis Olympi.
Nunc tuum pectus veneramur omnes
Pulcrius templi Salomonis auro:
Rex enim regum requiem perennem
 Fixit in illo.
Angeli pacis, variis periclis,
Se tibi praebent faciles videndos;

Et tuis claris famulantur actis
 Signa superna.
Est tibi mater puer Maria,
Cui flagras semper studioso amore,
Cujus et Cordis celebras in orbe
 Munera diva.
Nunc mari fuso tumidas in iras;
Nunc malo turpis mulierculae astu:
Sive, te, bellis Barathri impudicis
 Liberat Illa.
Gratiis castae Dominae refertus,
Inclitum Cordi genus Ejus almo
Procreas, totum memorans Beatae
 Nomen in orbem.
Sedibus, tandem, patriis inique
Exul, aurora borea nitente,
Dulcis electis cadis et quiescis
 Mortis in ulnis.
Qui sacras arces habitas Olympi,
Qui beatorum frueris corona,
Hujus, Antoni, memor esto mundi
 Te reverentis.
Gratias tecum meritas agamus
Filio aeterni Genitoris almo:
Haec Adunanti quoque sint utrumque
 Carmina laudis.

MARIANUS GONZÁLEZ, C. M. F.
In Collegio Maximo Sti. Dominiti Calceatensis.

CANTUS VESPERTINUS

- | | |
|--|--|
| I. Lassus cubitum eo
Et ocellos comprimo;
Vultus tuus, Pater, stet
Super lecto, vigilet! | III. Fido consanguineos
Tuae curae traditos,
Inimicos sospites,
Peramicos, hospites. |
| II. Si deliqui hoc die,
Noxam, culpam dilue!
Christi sanguis, gratia
Delent cuncta crimina. | IV. Lapsos, aegros eleva!
Lacrimantes mitiga!
Caelo luna splendeat,
Lustrans nos inspiciat! — VIATOR. |



Commercium Epistulare

Fr. Antonius Urquiola Patri Emmanueli Jové pacem et bonum.

Quoniam de recurrente anno Horatiano agere coepit PALAESTRA LATINA atque in ea non modo scriptorum illustrium lucubrations, verum etiam quae alibi gesta fuerint erga tantum poëtam spes est in lucem proditione, en tibi mitto una cum praefati uncula programma consessus in hoc collegio habiti XVI Kal. Augustas, die scilicet Divo Bonaventurae, Doctori Seraphico sacra. Aderant, praeter alumnos Latinitatis octoginta, omnes religiosi viri hic degentes numero septuaginta; in his quadraginta theologicis disciplinis operam dant. Res sub vesperum acta est. Ut verum fatear, actores longe melius spe se gesserunt, meritisque eos plausibus spectatores prosecuti sunt.

Fortassis animadverteris hoc anno alumnos hujus nostri collegii ad compositiones ex Palaestra vertendas nondum concurrisse. Nunc jam progrediente cursu conabor ut in pugnam veniant.

Fac valeas, dum me tibi addic̄tissimum profiteri gaudeo.

*Emmanuel Jové, C. M. F., Fratri Antonio Urquiola, C. M. F.
salutem plurimam dico.*

Quam sint alacres isti pueri vestri ad ea quae humanitatis sunt, satis superque saepe ostenderunt; nuperime autem eo litterario consessu quo bis millenariam Horatii nativitatem concelebrare voluerunt. Pulcerrimum programma! Mihi placuit omnino, quale auditoribus atque exspectatoribus ab iisdem oblatum est, quodque prospicere utinam mihi licuisset. Illic morales Horatii sententiae, illic dialogi Latinī, illic odae tum Horatianae tum Ecclesiasticae variis vocibus canendae in concentum redactae, illic oratiunculae Latinae a parvis Ciceronibus habitae, illic... quid pluribus erat opus ut ille consessus illaque vigilia deveniret amoenissima? Illis igitur dico: Maeti animo, pueri! Sic itur ad astra! Plurimum de vobis Superiores vestri sperare possunt. Namque qui haec audent pueri, quid viri non audebunt?

Tibi itaque, mi Pater, istius collegii dignissimo Moderatori, Praeceptoribus Latinitatis, alumnis omnibus sincerissimae sunto gratulationes et salutationes.

Valete!

(z) Vide, p. 207.

De artificiosae harmoniae principio in arte poética Horatii (*sequitur*)

Inter opus autem Aristotelicum atque Horatianum fundamentale discrimen necessario intercedit. Aristoteles enim homo est toto ore sapiens, qui opus litterariorum subjicit analisi rigido ac frigido eodem atque aliud quodcumque phaenomenon humanum. Nullum locum memini Poëtice illius qui ante opus, quod recenset, motum animi illum transfundat. Investigare dumtaxat naturam poësis in se ipse laborat, eam definire et in species digere: Περὶ ποιητικῆς αὐτῆς τε καὶ τῶν εἰδῶν αὐτῆς... λέγωμεν ἀρξάμενοι κατὰ φύσιν πρώτον ἀπὸ τῶν πρώτων.⁽¹⁾

Horatius contra semper est poëta, qui cogitantibus vivam induit formam, figurat mentis conceptus et ut artis praeceptum maximum enuntiet quem animam dixeris artis poëticeae —quod est pariter artis anima— praeceptum dico harmoniae partium cum toto, nos ante tabulam constituit monstruosam dum juvenes Pisones cachinnum tollentes audimus. Hoc est poësis, vita; illud scientia, ratio.

Quod discrimen formae, non vero rei, nihil impedit quominus doctrina fluat Aristotelica sub numerosa Horatii hexametra, quibus magnus ille Graecus magister in litteratorum generationibus influxum majorem exercuit —an semper beneficūm?— quam rigidis Poëticeae definitionibus.

Omnibus notum est Aristotelem poësim dramaticam omnium nobilissimam existimasse: tragediam scilicet et comediam. De epica poësi etiam loquitur, sed praeterita herorum aetate ea quasi lapidicina devenit ad tragediam. Poësis in sensu latissimo est *mimesis* seu imitatio

atque hujus imitationis scopus actiones humanae, (ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας) et tragediae anima est aetio: ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις. Data hujus rei conceptione, nullatenus irreali, facile quis comprehendat tragediam et comediam —poësim in actione— omnium esse nobilissimam, atque ideo maximam tractatus Aristotelici de Poëtica partem sibi assumpsisse, sicut etiam Epistulae Horatiana ad Pisones.

Aristotelici-Alexandrini, quamquam sub gravi auctoritate magistri una cum tragedia, comoedia et epica poësi alia litterarum genera subduxerunt, quae Aristoteles vix innuerat, ut liricam. Discipuli autem Stagiritae minutatim statuere curarunt certas stili regulas, versificationis, elocutionis, aliorum litterarii operis requisitorum. Ars ejus tota «Praeceptiva litteraria» integra devenit ad Romanos, in hac re sicut in omnibus ad cultum litterarum pertinentibus, a viis Graecis in tributum redactos. Ex Romanis autem, majoribus nostris, eam hereditatem nos quoque accepimus, donec surrexit titanicum genus qui recentis temporis novum aesceticae aedificium erexit et a rhetorum tyrannide liberavit in posterum litteras liberales. Ad quod quidem incepturn saeculis opus fuit: tantae molis erat...!

Quales autem hujuscemodi systematis litterarii tractus generaliores? a) Duplex principium operis litterarii productivum: τέχνη καὶ φύσις; ars et natura; studium et ingenium. b) ποιητής καὶ ποίημα, artifex et argumentum. c) Finis operis litterarii: utilitas et dulce: σύμφορον καὶ ὑδονή.

(1) Poëtica, 1, 1447, a.

Etsi parum familiariter epistula Horatiana usi fuerimus ejusdemque praecepsis, protinus detegemus hanc universim esse mentem, eos esse conceptus qui in ea evolvuntur ea tamen libertate et magnificientia, qua pollet poëta qui ceterum notos et vulgares agnoscit systematicos rationis litterariae aequalium suorum tractatus quos ille dumtaxat nobilitat et vivificat lepore familiari simul et poëtico. Quae quidem peculiaris et technica temporis cognitio ad perfectam operis Horatiani intellegentiam procul dubio con-

ducunt, sed magna ex parte ad archaeologiam litterariam pertinent. Verumtamen super peculiares formas artis praceptivae litterariae illius aetatis, quae sicut recentis temporis discussioni et caducitati sunt obnoxiae, principium exurgit aeternae viriditatis, quod epistulam perennitate donat, quodque ejus immarcessibilem et perpetuam juventutem explicat et insuper vinculum est internum et totam doctrinam in ea expositam compingit ac conserit; Harmoniae artificiosi operis principium.

III

Revera cum primum «Artem poëticam» legimus, quasi per silvam nobis errare videmur regularum atque praecceptorum, quae digressionibus decussantur primo visu non cohaerentibus et insinuationibus sine certo respectu litterario; quod difficiliter ad principium unitatis

Denique sit quodvis simplex dumtaxat et unum (v. 23)

Noluit Horatius, neque genium ejus decebat poëticum, subtilius ratiocinari de essentia pulcritudinis quae finis est operis litterarii, sed poëtico intuitu Augustianam pulcri definitionem praecepsit: unitatem in varietate. *Quod potest quidem non esse definitio essentialis, sed est*

*Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere si velit et varias inducere plumas
undique collatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne;
spectatum admisi, risum teneatis amici? (vv. 1-5)*

Huic autem legi, quam natura dedit et inter Pisonum juvenum cachinnos ante monstruosam Horatii tabulam est promulgata, non semel opponitur libertatis poëticae principium. Poëtica libertas! Bellum vocabulum in quo totam aeste-

totum redigas. At exstat principium, idque nostro jure adserimus: Artem poëticam Horatianam, exceptis artis praecceptoris minoris momenti et unius aetatis uniusque scholae, totam esse commentariam explanationem hujus unius principii:

dumtaxat et unum (v. 23)
demum condicio necessaria pulcritudinis in omni opere variis elementis compposito: partium harmonia in toto.

Imago, dicam melius, tabula vivida qua formam dedit Horatius huic pulcritudinis notioni in omnes hominum mentes devenit:

ticam componunt qui nullam aesteticam habent. At libertatem hanc —inquit Horatius—

petimusque, damusque vicissim (v. 11)
ea lege, ut nempe intra fines contineatur quos praetergredi nefas erit: fines hujus-

modi sunt inverisimilia, ut consortium avium et serpentium, agnorum et tigrium conversatio. Igitur Horatio sicut Aristotelii natura est artis regula ultima. Naturam praeterire est artem transgredi. *Mimesis* Aristotelica est demum imitatio naturae. Adeo est imperiosa lex illa concordiae et harmoniae in opere artificioso, ut nihil valeant pulcra fragmenta in toto illeido singillatim coruscantia, sunt enim laciniae purpureae in rudi veste.

Sed nunc non erat bis locus (v. 19)

Difficile est profecto, neque quisquis adsequatur, medium iter incedere, delatum sensum habere modi et proportionis, quod essentia est artis classici. Qualis in artifice exquiritur tactus qui brevis neque obscurus esse debet, grandis neque turgidus, varius neque prolixus...! Navigare inter scopulos utrinque se insidiantes, eosque transvadere feliciter uni artifici eique vero datur.

*Sumite materiam vestris, qui scribitis aequam
viribus, et versate diu quid ferre recusent,
quid valeant bumeri. Cui lecta potenter erit res,
nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. (vv. 38-41)*

Duo haec fecunda vocabula subducimus: *lucidus ordo* quae jure definitionem

In vitium dicit culpea fuga si caret arte
(v. 31)

Nova imago, nova similitudo ab arte sculptorico sumpta, ut nova forma apparet principium jam enuntiatum exemplo ex pictura desumpto. Procul, videlicet «Aemilium circa ludum infelix sculptor fingendis statuis operam exerceat. Scit ille profecto et ungues perficere et capillos levigare, sed membrorum complexionem nulla donat pulcritudine.

*Infelix operis summa, quia ponere totum
nesciet (vv. 34-35)*

Manifesta est ad opus litterarium translatio. Attamen ubi radix infortunati exitus illius sculptoris et complurium scriptorum? In eo nempe est quod obliviscuntur artificem inter et opus, quod inceperint, harmoniae legem et proportionem esse custodiendam. Non omnes possumus omnia; Vos, mei Pisones, ait Horatius:

*Ordinis haec virtus erit, et venus, aut ego fallor,
ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici;
Pleraque differat, et praesens in tempus omittat;
hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.*

existimaveris artis classici, quae lux est in ordine vel potius ordo proferens lucem.

I V

Atque hic finem habet prima artis poëtica pars, quae in technicae litterariae tractatibus quasi materiam operis comprehendebat et ποίησις appellabatur ut a ποιήματι discriminaretur, quae erat forma et operis dispositio. Luculententer appetet lectori simpliciter legenti to-

tam hujus primae partis doctrinam uno informari principio quod omnium est caput: harmonia, proportio, opportunitas; τὸ πρέπον.

Nunc autem poëta operi mentis creato (ποίησις = fictio) formam dare cogetur vocabulis. Tractatum igitur ingredi-

tur de elocutione. Qua in parte unam rem tantum certam oculis objicit: novationem vocabulorum, qua in re sicut in aliis compluribus novae generationes repetunt singulae quod ille scriptum reliquit utpote quod pulcerrimum, neque melius dici potest.

In verbis etiam tenuis cautusque serendis (v. 46)

Duo haec adjectiva quae sunt quasi attentionis signa: *tenuis cautusque*, mihi referre videntur illud «ne quid nimis aeternae sobrietatis, animae artis et praceptorum Horatianorum. Ex alia parte tamen nemo magis eloquentius et vehementius jus innovandi sermonis procla-

Ecce lex etiam harmoniae et temperantiae quae regit omnia: neque studium infrene in vocibus novandis, neque timor neologismi legitimi quem recentium temporum inventa expostulant et varietas idearum.

mavit, neque pulchriorem legis formam internae linguarum renovationis quisquam praebuit quasi rerum viventium, quam praebuit Horatius Homerica comparatione silvarum, quae quotannis foliis renovantur.

*Licuit, semperque licebit
signatum praesente nota procudere nomen.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.*

Debemur morti nos, nostraque. (vv. 58-62)

Elocutio autem poetica pluribus quam sermo communis praepeditur obstatulis, rithmo scilicet et versu. Qua quidem in re aliam applicationem videbimus illius principii quod doctrinam Horatianam informat, id est harmonia et convenientia formae poeticae cum genere litterario. Non est anceps unum aut alterum metrum adhibere. *Epos* lento gradu et regio —«incessu patuit dea»—

Descriptas servare vices operumque colores

Cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor? (vv. 86-87).

Atque hic animadvertere licet rigidam illam generum separationem in poesi dramatica, quam classici injungebant. Non tantum quod tragedia et comoedia

hexametro nititur; elegos in pentametro fluentum profundit lamentis intermissum et lacrimis; satira cito armatur et feriente iambo, quod etiam tragedia et comoedia repetunt, tanquam colloquio proprium et theatrale strepitum superaturo; stropha autem lyrica erit tandem cithara variarum fidium quae sonum referant ex victoriis deum et heroum promanantem et epularum hilares tumultus.

Versibus exponi tragicis res comica non vult (v. 89)

Dramaturgi nostrates apud Hispanos doctrinam Aristotelicam minime negligentes, quae ad omnia videtur utilis esse, drama commenti sunt quod repre-

duae plagae sint magno pelago dissitae, immo ita mutuo dissociantur, ut sermo quo utuntur homines, in plaga altera uti non valeant.

sensatio esset et quasi summa totius vitae; et manifestum est in vita comoediam et tragediam suos confundere fines et sermones permiscere.

Nostrum igitur theatrum Hispanum classico non est oppositum sed classico suprapositum. Ac digressio haec ansam nobis praebet ut duo hic gloriosa nomina conjungamus, magistri scilicet artis classici, et conditoris theatri Hispanorum nationalis: Horatium dico et Lupum de Vega. Utriusque currunt hoc anno centenariae commemorationes.

Concordia vero quam expositulat Ho-

*Non satis est pulcra esse poemata dulcis sunt
et quocumque volet animum auditoris agunto. (vv. 99-100)*

Si omnis ars litteraria, vel illa personalior lyricae poësis, auditorium petit, id est quidquam aut quempiam qui poëtae cantum resonet —non canimus surdis, inquit Vergilius— ars oratoria et dramatica ex fluxu et refluxu agitantur poëtae ad populum et populi ad poëtam. Rem illam arguit quod doctrina Hora-

*Format enim natura prius nos intus ad omnem
fortunarum habitum; juvat, aut in impellit ad iram
Aut ad humum maerore gravi deducit et angit:
post effert animi motus, interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum, (vv. 108-113)*

eum videlicet cachinnum, sonorum utique, qui jam initio strepuerat cum Pisones tabulam mulieris et piscis contemplabantur. Idem igitur principium et lex jam tunc proclamata Horatianas præceptiones informare pergit.

Autor dramaticus accurate perpendit indolem, actatem, conditionem, ordi-

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
jura neget sibi nata, nihil non arroget armis. (121-122)*

Cum traditio nullam præfinitam in-
dolem imponet, tunc logica interna vel

qualis ab incepto processerit et sibi constet. (vv. 126-127)

ratio inter genus litterarium ejusque metricam expressionem, minoris est momenti quam ea quae requiritur inter personas atque earum indolem et sermonem in scaena adsumendum. Vult Horatius quidquam, immo et multum, habeat, ars dramatica Platonianae illius virtutis quae censetur artis oratoriae medulla, ut sit psycagogica, id est, ut animos ad se convertat.

tiana hujus loci artis poeticae (vv. 100-113), quae stricte ad drama pertinet, ad artem oratoriam litteraliter transferri potuit. Horatius rursus alte ostenditur Aristotelicus cum hic ad naturam dicit quasi ad primum harmoniae fontem eumque supremum:

nem, patriam personarum, ut unicuique verba tribuat accommoda. Nutricem non decet matronarum sermo nobilium. Atque etiam cum poëta ipse ex sese in novas res procurrat, nequaquam spernat necesse est traditarum certa limeamenta personarum. Achilles erit

naturalis opportunitas ducet poëtam, ita ut persona ab eo creata servetur ad imum

V

Deinde agere incipit Horatius de materia operis litterarii. Duplex panditur poëtae iter: traditio et inventio pura.

Quod ita significavit Magister:

*Aut famam sequere aut sibi convenientia finge,
scriptor. (vv. 119-120)*

Sed originalitate donare argumentum quod commune est patrimonium, incep-tum est haud facile, sed majore ideo dignum laude evolvere proprio et novo spiritu pericopem Illiados, quam in

scaenam producere purae inventionis argumentum. Hoc videtur sensus acceptior obscuri illius Horatiani loci qui in tot controversias divisit commentato-res.

*Difficile est proprie communia dicere; tuque
Rectius Iliacum carmen deduces in actus
quam si proferres ignota indictaque primus. (vv. 128-130)*

Sed finis noster non est in hac lucubracione litterariam interpretationem et commentarium Epistulae ad Pisones facere, sed detegere et in tractatu illius filum

persequi quod legem internam dicit. Et ecce nos ante praeconium venimus nobilissimum Homericae poësis in quo doctrina Horatiana iterum iterumque contrahitur.

*Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet
primo ne medium, medio ne discrepet imum. (vv. 151-152)*

Adulescens autem Horatii amicus vires tentare affectat in opere dramatico atque in illusorio aestu sibi audire videntur in theatro dulcem manuum crepitantium strepitum. Cui senex Ma-

gister amica voce: audi, inquit; si op-table appetis triumphum dramaticum nancisci, si vis ut populus tuo plaudat operi neque scaenam deserat

*donec cantor vos plaudite dicat,
aetatis cujusque notandi sunt tibi mores
mobilibusque decor naturis dandus, et annis. (vv. 155-157)*

Quid nunc memorem animatam tabulam eamque viventem quam de varia hominis aetate producit. Hic verum red-

dit suum ipsius effatum: *ut pictura poësis erit. Tabula ad calcem secum fert Horatianam subscriptionem:*

Ne forte seniles

*mandentur juveni partes, puerisque viriles,
semper in adjunctis, aevoque morabimur aptis. (vv. 176-178)*

Novum enuntiatum vel nova communis principii applicatio.

Quae doctrina Graeca est et Aristotelica; germane Romanus vel potius Horatianus est sensus moderatus et temperatus, et verisimilitudo qua regenda sunt omnia. Ex oculis spectantium est amandandum quidquid verisimili repugnet vel populi placitis:

*Nec pueros coram populo Medea trucidet
aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,*

*aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem:
quodcumque ostendis mibi sic in credulus odi.* (vv. 185-188)

Aristotelicus est etiam Horatius in ratione *chori*: Chorus habendus est — ait Aristoteles — ut unus ex actoribus et pars totius ($\mu \delta \rho \iota \nu \tau \circ \theta \lambda \omega$) et non ut in Euripide, sed ut in Sophocle ad exitum debet conferre.⁽¹⁾

Chorus igitur est Aristoteli alia tra-

*Auctoris partes chorus officiumque virile
deffendat neu quid medios intercinat abus,
quod non proposito conducat, et haereat apte* (vv. 193-195)

Magni momenti in veteri tragoedia consebatur musica: $\mu \delta \lambda \sigma \tau \alpha$. Horatius hoc loco pristinam simplicitatem amisisse et chorū et musicam et populum lamentatur, et dum suo tempore simplex

*Et tulit eloquim in solitum facundia preeceps;
utiliumque sagax rerum et divina futuri
sortilegus non discrepuit sententia Delphis.* (vv. 217-219)

En iterum nobis moderationis ma-

tiae nempe et decoris drama satircum moderatur, de quo continuo agit Poëta ternenae sobrietatis. Eadem lex consonan-

Magister:

*Verum ita risores, ita commendare dicaces
conveniet Satiros, ita vertere seria ludo,
ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscuras bumili sermone tabernas;
aut dum vitat bumum, nubes et inania captet.* (vv. 225-230)

Postremus versus in mentem revocat illum primae partis:

Serpit humili tutus nimium timidusque procellae.

In hoc dramatum genere, de se libe-

ria et tragoedia communi. Locum unum riore, est doctrina eadem atque in comoe-

dumtaxat preebeamus:

*Non ego inornata, et dominantia nomina solum,
verbaque Pisones, Satirorum scriptor amabo:
nec sic enitar tragicō differre colori,
ut nihil intersit Davusne loquatur, et audax
Pythias emunctō lucrata Simone talentum;
an custos famulusque Dei Silenus alumni.* (234-239)

Jam minoris judicamus momenti thecnicas preeceptiones quas de iam

metris exhibet Horatius, quod proprium est poësis dramaticae, ut ipse creditit

(1) Poet. 1456, XVIII, 25.—(a) Errandona. Tragedias de Sófocles. tomo I, Edipo rey y Edipo en Colono.

goedae persona. Cum autem Sophoclem laudat referre videtur Oedipum in Colono, in quo Chorus non solum agit in drame, sed principem personam repreäsentat.⁽²⁾

Horatio idem est chorus: εἰς τῶν ὑποχριτῶν:

*Auctoris partes chorus officiumque virile
deffendat neu quid medios intercinat abus,
quod non proposito conducat, et haereat apte* (vv. 193-195)

tibicen traxit vagus per pulpita vestem chorus prius utilium sagax rerum et di- vinans futurum, aemulari voluit gran- diloquas Delphici oraculi sententias:

Magister:

Verum ita risores, ita commendare dicaces

conveniet Satiros, ita vertere seria ludo,

ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros

regali conspectus in auro nuper et ostro,

migret in obscuras bumili sermone tabernas;

aut dum vitat bumum, nubes et inania captet. (vv. 225-230)

Postremus versus in mentem revocat illum primae partis:

Serpit humili tutus nimium timidusque procellae.

In hoc dramatum genere, de se libe-

ria et tragoedia communi. Locum unum riore, est doctrina eadem atque in comoe-

dumtaxat preebeamus:

*Non ego inornata, et dominantia nomina solum,
verbaque Pisones, Satirorum scriptor amabo:
nec sic enitar tragicō differre colori,
ut nihil intersit Davusne loquatur, et audax
Pythias emunctō lucrata Simone talentum;
an custos famulusque Dei Silenus alumni.* (234-239)

Jam minoris judicamus momenti thecnicas preeceptiones quas de iam

metris exhibet Horatius, quod proprium

est poësis dramaticae, ut ipse creditit

Aristoteles: «μάλιστα χάρ λεξικών τῶν μέτρων τὸ ιαμβεῖον ἔστιν». (1) Attamen hic

aureum consilium litterariae formationis invenimus.

Vos exemplaria Graeca

nocturna versate manu versate diurna. (268-269)

Dum Pisonibus loquitur Horatius, adulescentibus amicis, ejus oculus terram fortunatam intuetur artis genetricem et ingeniorum patriam: Graeciam. Et post rapidam in historiam artis dramatici incursionem, confitetur Magister, quamquam patriae attactus dolore, Latium nondum aemulari Graeciam in litterarum laude sicut in armis. Cujus causa haec

censemur, quod eis desit labor limae. Solacium hoc erat vanitatis Romanorum populi, sed res ipsa invitum cogit Horatium confirmare poēsim excelsum esse musarum donum, abunde Graecis tributum, praeter laudis nullius avaris, negatum tamen Romanis rebus multis et negotiis implicitis.

VI

Tertia et postrema «Artis poētiae» pars (vv. 295-476) tractat de poētae formatione, «quid alat formetque poētam». Eadem lex moderationis et temperantiae, eadem regula μεσότης Aristote-

excludit sanos Helicone poetas. (v. 296)

Horatius genio satirico praeditus simul et praeceptor descripsit dextra

lica Horatium adducit loqui de eo quod in se ipse debet esse poēta atque illa quae eam ducebat cum quid in opere esse deberet, loquebatur. Procul abest Magister ab ratione Democriti, qui

utique manu tabulam Romantici poētae:

*Bona pars non unguis ponere curat,
non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium, nomenque poetae,
si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O, ego laevus,
qui purgor bilem sub verni temporis horam!*

Non alius faceret meliora poemata. (vv. 297-303)

«Non sum ego poēta; convenit—dicere videtur Horatius—etenim sana mente utor».

Totum hunc locum et tabulam finalē in qua tragicam mortem describit sublimis poētae qui versus suos recitat merulis intentus, scripsisse videtur saeculo XIX mediis proeliis et pugnis quibus

*Natura fieret laudabile carmen in arte
quaesitum est. (v. 408-409)*

Lis harmonice definienda Horatio dabatur. Ibi procul dubio est quaerenda

et classicismus et romanticismus tota artis acie maximum certaverunt certamen. Et revera maximi momenti hujus partis postremae Artis poētiae Horatianae est positio in ancipiū dominationis unius ex duobus principiis opus litterarum constituentibus:

artis classicae ratio: in harmonia utriusque principii, in illo «conjurat amice»

(x) Poetica, 1449, 4, 20.

Horatiano. Sine dubitatione illis Horatii temporibus non deerant qui ex Musarum afflato omnia exspectabant atque duriora credebant omnia illa Horatiana praeccep-

Scribendi recte sapere est et principium et fons, (v. 309)
et maxime scripta nonum in annum premendi membranis intus posita, et quod non liceret in publicum prodire opus quin in manus descenderet cuiusdam Mecii aut alterius conspicui judicis.

Contra studium,⁽¹⁾ contra regulas, contra censuram signum extulit seditio romantica et procul dubio huic libertatis motui debentur plures artisticae inventiones; attamen id animo fixum tenemus: classicismum, quem seditio illa de loco deturbavit, nihil esse praeter umbram classicismi veteris, legis scilicet aeternae harmoniae quae totam informat Epistulam ad Pisones. Lex illa est universalis, cui se subjecere debet omnis schola litteraria. Ideo post belli fragorem ob Romanicam pugnam saeculo XIX commissam gravis atque festiva vox auditur

ta aut consilia, limandi scilicet semel atque iterum opera litteraria et sapiendi antequam quis operi manus admoveat:

Scribendi recte sapere est et principium et fons, (v. 309)

Praeceptoris juvenum Pisonum, eadem auctoritate praedita quam audierunt juvenes Romani.

Hanc nostram igitur lucubrationem iis verbis claudere possumus quibus invimus ex Marcellino Menendez Pelayo desumptis: «Ea est jurium atque officiorum tabula vere mirabilis, cujus juventam nec saecula decem et novem potuerunt labefactare et hodieque eodem virore gaudet atque tempore quo fuit promulgata».

Attamen supra varietatem et similitudinem regularum praceptorumque confusionem effertur atque observatur lex una, eaque universalis aeternae harmoniae quae pulcritudinis est genitrix et artis anima.

DANIEL RUIZ, C. M. F.

Professor Litterarum Latinarum in Nationali Instituto Bilbilitano

Bilbili Augustā Idibus Octobribus.

Bibliographia

Otto Gradenwitz. — *Laterculi vocum Latinarum seu Voces Latinae quas ordinandas curavit et a fronte et a tergo.*
— Leipzig Verlag von S. Hirzel.

Opus recenseo ante aliquot annos editum. Est autem hodie et semper utilissimum et necessarium iis qui grammaticis et criticis studiis litteras aucturi sunt, ut ait auctor, neque immerito. Volumen, 546 paginas (15 x 23) continens,

universas voces Latinas vel dubiae etiam Latinitatis a fronte et a tergo ordinatas adfert. Cum eo facile quis animadvertiset quam inepte quidam grammaticae nulla Latinitatis propria scientia sed alienis tantum grammaticis imbuti, has et similes regulas proponant: «Masculina sunt omnia nomina tertiae declinationis finita in *an in on*; neutra omnia nomina finita in *c t*. Capio hunc librum et inve-

(1) In memoriam revocemus nobilem nostrum Exproncedae versum:

«Yo con erudición juénto sabrial»



nio id quod jam suspicabar, sed adsere plane non audebam. Quot sunt nomina finita in *an?* Nulla alia quam *Satan* et *Titan*. Quot nomina in *in?* Tantum *delphin* quod melius fiet secundae declinationis *delphinus*. Quot sunt finita in *on?* *Canon* et *quaedam* alia, eaque Graeca, quae si usurus eris facies femenina: *icon*, *sindon*. Quot nomina in *t?* Nullum aliud praeter *caput* ejusque composita *bicaput*, *occiput*, *sinciput*. Quot tandem nomina in *c?* *Lac* et *halec*. Hoc autem ultimum melius finies in *ex* et generis communis facies. Cur igitur ejusmodi regulas statuerunt illi grammaticae? Quia fuerunt ante se alii adhuc ineptiores qui tam singulares regulas invenerunt et religioni habuissent, si quidquam ab eis receptum minime repetivissent. Ad haec igitur et similia dico, opus illud esse utilissimum.

Cicéron. — *Lettres familières*, III, L. XII-XVI. — Traduction nouvelle de Edo- uard Bailly. Garnier, Paris.

Hoc tertio volumine completur tex- tus Latinus et versio Gallica epistula- rum Tullii *ad familiares*, quam edidit nobilis E. Bailly. De prioribus volumi- nibus judicium prodiit in *Palaestra* num. 35 p. 155 et num. 43 p. 138. In hoc volu- mine eadem appareat ratio operis, notis- que pariter collustratur textus. Nitida ac perspicua versio, non quidem ad ver- bum Latinum expressa, sed sensum di- lucide patefaciens. Exspectamus interim versionem epistularum *ad Atticum* ab eodem praeclaro viro exarata.

Cicéron. — *Tusculanes*. — Traduction nouvelle de Charles Appuhn. Gar- nier, Paris.

Interpres notissimi operis Ciceronian- ni *Tusculanarum Disputationum*, profes- sor honoris causa in Liceo Henrici IV, non parvo exitu difficultates superavit quae in versione hujus operis occurrunt, propter vocabula ad philosophiam per-

tinentia. Plura sunt enim ad stoicorum doctrinam spectantia, quorum concep- tus difficiliter possunt ad linguas hodiernas converti ut *honestum*, *honestas*, *beatus*, *vita beata*. In electione verborum Gallicorum interpres optimo consilio ad fontem Graecum recurrit, a quo Tullius res hausisse videtur. Textus Latinus in duobus prioribus libris editionem Pohlenz (Leipzig et Berlin 1912) in tribus vero sequentibus editionem Heine (id. 1929) reproducit.

Felix G. Olmedo, S.J. — *Sátiras y Epis- tolas de Horacio*. — Estudios y traduc- ciones. Madrid, 1935.

Inter studia Horatiana quae bis mil- lenario Venusini decurrente in lucem prodiere, honore maximo recensendum est opus P. Olmedo ab Edit. *Razón y Fe* nuper editum. Incipit quadam disserta- tione de indole *Satirae Romanae*, seu potius de origine historicō *Satirae*. Ali- quae ex *Satiris* et *Epistulis* seliguntur quibus studiūm praeliminare praecedit, comitatur accurata versio poëtica, nec desunt pictoricae illustrationes ab eo- dem auctore confectae. Poēmata hoc or- dine seliguntur: *Satirae V* primi libri Sat. I, I. II. Epist. II, I. I, Epist. X, I. I, id. XI, id. XIV, id XIX. Sat. VI, I. I, Ode VIII, I. I, Ode XIV, I. IV, Sat. IX, I. I. Optamus ut quam primum cl. inter- pres nobis offerat alias versiones Horatianas quas in prolegomenis promittit.

Jacobo Burckhardt. — *Historia de la Cultura griega* — Tomo primero. Tra- ducción del alemán por Eugenio Imaz. Madrid, 1935.

Commentarius Revista de Occidente a Josepho Ortega Gasset directus, mag- num opus edendum suscepit, Historiam nempe *Culturae Graecae* a Jacobo Burckhardt, qui fuit unus ex praecipuis historicis qui transacto saeculo in Ger- mania floruere. Professor Universitatis

Basileensis optimam sibi famam inter progressus scientiarum amatores comparavit, methodum philosophicam in historiam inducens, qua humani eventus non quasi quaedam congeries nullo nexu inter se copulentur, sed ex intima hominis evolutione dimanent eorumque influxi in evolutionem emensurentur.

In prima hujus voluminis sectione disserit auctor de mythica Graecorum indole; in altera de conceptu Status et Nationis, de servitute, aristocratia, tyrannide et democracia sive Athenis sive extra Athenas; de unitate Graeca, ejusque relatione cum «barbaris». Facta historica, ideas confirmantia et illustrantia referuntur. Opus completum quattuor volumina continet, quorum tria posteriora brevi editum iri speramus.

H. MARTÍA, C. M. F.

Gaspar Lefebvre, O. S. B. — *Grammaire du Latin Liturgique.* — (2.^a edit.) Abayeide S. André par Lophem-lez-Bruges.

Iis qui sacram liturgiam per se ipsi gustare volent opus est, ut liquet, Latinam callere linguam. Quod si, alienis curis implicati, non multum neque temporis neque laboris huic rei impendere possunt, libellum hoc gallice scriptum habent in quo quae ad Liturgiae intelligentiam sufficiunt ordinatim et perspicue traduntur, quaeque sine magno labore memoriae ac intellectui mandari possunt. Alios id genus libellos Italice et Germanice exaratos aliunde novimus quibus tamen Gallicus hic longissime praestat.

Gaspar Lefebvre, O. S. B. — *La Misa dialogada.* — Ibidem.

Alterum libellum, optimum abs dubio, ejusdem clarissimi P. Lefebvre, et a P. Germano del Prado hispanice versum et aptatum. Omni prorsus commendatione digni sunt illi meritissimi Benedictini Monachi qui, multis abhinc annis

argumentoso et Benedictino quidem labore, laudabile suscepserunt onus Christianam plebem in sacra liturgia, quo altius possent, erudiendi.

Excmo. Manuel González. — *Un sueño pastoral.* — Obispo de Málaga.

Nemo est, praesertim ex cleri sodalibus qui illum clarissimum praesulem non noverit nuper ex Malacensi dioecesi ad Palentinam translatum qui Hispanici episcopatus ornamentum est atque vernacularum litterarum inter primos excutissimus. Quem nunc librum nuntiamus postremum ejus opus est, typis expressum, in quo tot suscepta opera et labores pingit in exstruendis seminarii aedibus et alia perplura ad clericorum et spirituale et corporalem eruditio- nem pertinentia ea sale et venustate scripta qua solet egregius ille et ubique vulgatissimus auctor qui adeo in Smae. Eucharistiae cultu intensius animis defigendo multis abhinc lustris laborare pergit. Mirus omnino liber quem vix semel arreptum e manibus relinquere potes. In nulla seminariorum et religiosorum bibliotheca desiderari fas est.

LEANDER FANLO, C. M. F.

Manuel Marín Peña. — *Lengua Latina* (Primer curso). — Lérida, 1935.

Hoc linguae Latinae opus, novissimis ordinationibus accommodatum, auctor edidit, qui Lingua Latinam in Ilerdensi Instituto ephebos mediae institutionis docet. Optimo quidem consilio titulus «Lingua Latina», minime vero «Grammatica linguae Latinae» placuit auctori, quia revera opus continent, praeter summa Grammaticae principia, exercitationes singulis lectionibus respondentes, necnon ex Epitome Historiae Graecae ac ex Eutropii Breviario ab U. C. frusta selecta cum vocabulario praecipuorum vocum ordine litterarum composito. Auctori ex animo gratulamur.

J. M.^a JIMÉNEZ, C. M. F.

Exercitationes Scholares

VIGILIA LITERARIA

IN COLLEGIO SERAPHICO ARÁNZAZU

*In Memoriam Quinti Horatii Flacci
anno ab ejus natali bis millesimo recurrente.*

PARS I

- 1.^o *Praefatiuncula*. — Jesus ab Iracla.
- 2.^o *De quibusdam apud Horatium sententiis quae christianum morale quodammodo sapiunt*. — Jesus Maria Beristain.
- 3.^o *Lectionis probatio* (Ex PALAESTRA LATINA). — Personae: M. Arsurabarrera, J. Zubietta, et V. Andoñio.
- 4.^o *Quem tu Melpomene...* (Horatii oda quattuor vocibus inaequalibus, saeculo XVI, in concentum redacta a Paulo Hofhaimer) — Cantores: J. Zubietta, J. Garayalde, P. B. de Heredia, P. Layuno, J. Layuno, J. Astizazarán et T. Marculeta.
- 5.^o *Francisculi prandium*. (Josephi Fornarii milesia fabula, scaenis apud ephebra coaptata) — Personae: J. Iracla, P. Layuno, B. B. de Heredia, J. Layuno, et T. Marculeta.
- 6.^o *De altari et quibusdam cultus elementis* (Imaginibus in frontem pro-

jectis) — Relator: Bernardus Oyarzabal.

PARS II

- 1.^o *Ludus literarius* (Ludovici Vives dialogus) — Personae: S. Pinedo, A. Hervias, F. Errasti, P. Iturrios, M. Martínez, D. Bengosa, I. Ateda et J. Ilarduya.
- 2.^o *Jam sol recedit igneus* (Hymnus duabus vocibus aequalibus ad cantum ordinatus a D. V. Amalit) — Cantores: sexdecim.
- 3.^o *De antiquorum Romanorum armis* (Imaginibus coram exhibitis) — Relator: Xaverius Eizaguirre.
- 4.^o *Spectando ferias* (Dialogus ex PALAESTRA LATINA) — Personae: C. Iturria et N. Lorente.
- 5.^o *O Maria ad te...* (Melos a Caesare Franck duobus vocibus aequalibus concinnatum) — Cantores: sexdecim.

P R A E F A T I U N C U L A

Antequam hujus consessus litterarii programma enuntio, praefatiuncula opus est Omnibus notum est, hoc recurrente anno, bis millesimum agi annum natalicii «Quinti Horatii Flacci». Nos itaque, qui linguae Latinae addiscendae operam damus, tanti poëtae memoriam celebrare statuimus, et quidem eodem utendo sermone quo ille usus est ad praeclara sua carmina fingenda. Sed hoc opus, hic labor. Nondum scimus latine. Vix adhuc prima grammaticae rudimen-

ta excessimus. Hinc necesse est multos peccare, multos admittere barbarismos et soloecismos in his quae sumus dicturi. Attamen vos qui sapientes estis et benigni, speramus gratiam nobis facturos, si qua hujusmodi irrepserint menda. His dictis, en programma, in duas divisum partes: (sequitur ut supra)

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator

Typegraphia F. Camps Calmet. — Terregae

L I N G U A P H O N E

L A T I N U M O P E L I N G U A P H O N E

Introductionem constituit probatam, ad Latinitatis studium facile reddendum atque jucundum, phonogrammatum apparatus atque eorum collistratus textus

L I N G U A P H O N E

G R A E C U M O P E L I N G U A P H O N E

Si vivam reddere velitis classicam Graecorum Linguam, auscultate Graeca phonogrammata cum respondentibus textibus Demosthenis, Sophoclis, Homeri, Pindari editis a

L I N G U A P H O N E

X X I I L I N G U A E O P E L I N G U A P H O N E

Si discere vel perficere vos velitis in qualibet ex 23 praecipuis linguis nostrae aetatis cultus, respondentem adquirite earum apparatus

L I N G U A P H O N E

Petite hoc ipso die catalogum ab

L I N G U A P H O N E . - V I A V A L E N C I A , 2 4 5 . - B A R C E L O N A

Nomen tuum

Via *Num.* *Oppidum* *Nota*